Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26106
Copyright: Admont, Benediktinerstift



dolet & ingemiscit erroribus. Unde & alibi cum multi ad salutem
apostolis predicantibus essent perducti scriptum est de illo. In ipsa hora
exultauit ihesus in spiritu sancto & dixit. Confiteor tibi pater domine celi & terre.
quia abscondisti hec a sapientibus & prudentibus. & reuelasti ea par
uulis. Et cum iude facinus esset redarguiturus turbatus est spiritu
ut iohannes scribit & protestatus est & dixit. Amen amen dico uobis. quia
unus ex uobis tradet me. Quod autem ait si dabitur generationi isti
signum. significat non dabitur iuxta illud in psalmo. Semel iu
raui in sancto meo. Si dauid mentiar id est dauid non mentiar.
Denique sanctus augustinus de consensu euangelistarum loquens ita in marco
scriptum esse testatur. Et signum non dabitur ei. Non ergo datur signum
generationi illi id est temptantium dominum & insultantium uerbis
eius. tale utique signum quale temptantes querebant hoc est de celo.
quibus tamen multa celestia dabat in terra signa. Ceterum gene
rationi querentium dominum. requirentium faciem dei iacob signum de
celo ostendebat. quando cernentibus apostolis ascendit in celum.
quando misso desuper spiritu primitiuam impleuit ecclesiam. quando
ad impositionem manus apostolorum in samaria. cesarea. epheso.
aliisque urbibus ac locis plurimis gratiam de celo spiritus sancti credentibus
ministrauit. Et dimittens eos. ascendens iterum abiit
transfretum. & obliti sunt sumere panes. & nisi unum panem non
habebant secum in uia. Querat aliquis & dicat. Quomodo panes
non habebant qui statim impletis septem sportis ascenderunt naui
culam & uenerunt in fines magedan. ibique audiunt nauigan
tes quod cauere debeant a fermento phariseorum & sadduceorum.
Sed scriptura testatur quod obliti sunt eos secum tollere. Quod autem naui
gaturi transfretum obliti sunt uiaticum sumere secum. indicium est
quam modicam carnis curam in reliquis haberent. quibus ipsa refi
ciendi corporis necessitas que naturaliter cunctis mortalibus inest

R